





Pri. 20. Miam.

8  
DISPUTATIO INAUGURALIS

De

PACTIS LEGI-

TIMIS,

QUAM

PRÆSIDE

DEO OPT. MAX.

*Decreto atque Autoritate*

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CON-  
sultissimi in Floridissima ARGENTORA-

TENSIVM Academia Jctorum Ordinis,

*Pro*

Summis in Utroque Jure Honoribus & Privilegiis

Doctoralibus ritè consequendis, Solenni

Eruditorum ventilationi

*submittit*

FRIDERICUS NASSER

SLESVIC. HOLSAT.

*Ad Diem 10. Mensis Octobr.*

Horis locove solitis.

ARGENTORATI,

Typis FRIDERICI SPOOR.

ANNO M. DC. LIX.






ILLUSTRISSIMO ET CELSISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DN. IOHANNI  
AUGUSTO,

Heredi Norvagiæ, Duci Slesvici, Holsatiæ,  
Stormariæ & Dithmarsici, Comiti  
in Oldenburg & Delmen-  
horst &c.

Domino meo Clementissimo  
Salutem & Felicitatem.



*A*uguste Princeps, Magne Dux, ge-  
miscentis  
Holsatiæ Spes, Gaudium Paternorum  
Penatium, Clemens Honorum Camæna-  
rum.

*Proferre laudes, ritè quas petit virtus,  
In Te*

In Te Parentis exhibens perennantes  
Dotes, Poëta fervidi laborabunt.  
Mihitacendi gloriâ reportatâ,  
Quodcunque Claram Stemmatis vetustatem  
Ornat, stupesco mente subditâ servus,  
Meique rectè debiti recordatus  
Ob gratiosam sæpius sat expertam  
Propensionem Gloriosi Evergetæ,  
Decentis instar gratitudinis, testem  
Submissionis, Principisque mandati  
Lubentis omni tempore executoris  
Dicare paucas hasce debeo theses.  
Conventa produnt pacta lege vestita,  
Insigne juris imperantis objectum,  
Verum Minervâ paupere elaboratum.  
Hinc, Summe Princeps, Inclytum Tuum Nomen,  
Quod novit aram turba literatorum,  
Supplex adorat confidens genu Musa;  
Ut, quos habebit turpiter coherentes  
Fœtura nevos, Gratiâ Suâ velet,  
Ipsique Fortis usque Tutor existat.

Te



*Te servet interim DEI potens dextra,  
Beetque latè Splendidum Tuum Stemma,  
Quo fama, quamvis orbe personet toto,  
Magis magisque Gentibus celebretur,  
Et Ipse Felix Dignitatis Augustus  
Ubique cunctis creber audias seclis.*

Illustrissimæ Celsitudinis Tuæ

*humillimus & obsequentissimus  
servus*

FRIDERICUS NASSER.



FRIEDRICH WASSER.

Einleitung des Verfassers

Die erste Abtheilung des Buches  
behandelt die Geschichte der  
Kunst, die in der  
ersten Abtheilung des Buches  
behandelt die Geschichte der  
Kunst, die in der







I. N. D. N. F. C.

De

# PACTIS LEGITIMIS.

## THESIS I.

**P**ostquam exantlatis ordinariis examinibus Magnus Nobilissimus & Amplissimus Argentoratensium Jctorum Ordo pro consequendis in utroque Jure Honoribus Disputationem conscribendi licentiam benevolè concessit, annuente DEO omnipotente, cujus divinum præsidium identidem imploravi, iterumq; atque iterum submisso corde imploro, de pactis legitimis difficillimam quidem, sed materiam utilissimam pro virili & ingenii tenuitate elaboraturus haud abs re facere conjicio, si, priusquam ipsum propositum aggrediar, quædam non tantùm de vocabulorum homonymia & synonymia, sed & pauca de ipsorum etymologia præmittam. Cùm præter Philosophos nostros quoque Jctos verborum originationem magni pependisse, eamque diligenter sæpiùs investigasse ex §. 1. pr. ff. de just. & jur. l. 1. §. 1. de Pact. l. 1. pr. de furt. & aliis textibus compluribus sic satis pateat. Licet enim reperias & forsitan non paucos, qui Grammaticam inquisitionem à jurisprudentia alienam & planè inutilem arbitrantur, cùm quod secundum Baldum *in cons. 33. n. 2. vol. 1.* leges nostræ Prisciano non subjaceant, tum quod eum, qui boni Jcti partes explere præclarumque ejus elogium laudabiliter assequi annititur, id animo serio pervolvere, & in effectum tandem deducere oporteat, quo magis jureperitum quàm Grammaticum, aut quendam de Schola Græculum exhibere videatur; attamen & nominibus

A non

non minus ac rebus sua inest sanctitas, antiquitas, elegantia, gravitas ac varietas, attestante Christiano Becmanno in dedicatoria sua dissertatione doctissimo libro *de Orig. Lat. Ling.* præfixa, imò primi gradus ad cognitionem rei sunt ἰνομία καὶ λόγος, quemadmodum Plato habet in Cratylo. & juxta Aristotelem c. 1. *Soph. Elench.* in disputationibus, qui nominum potestatis sunt imperiti, paralogismis decipiuntur, & cum ipsi disputant, & cum alios audiunt, interprete Iulio Pacio. Conferatur Nobiliss. Ampliss. & & Consultiss. Dn. D. Joh. Rebhanii Hodegeta Juris & ipse Præceptor, Patronus ac Promotor meus ætatem summo perè colendus ibidem *in dedicat. Epistola ad Sereniss. & Celsiss. Principes Dn. Christ. & Dn. Joh. Carolum Comites Palatinos ad Rhenum elegantissimè exarata.*

## TH. 2.

Quapropter ad Etymologiam Latinis veriloquium versam quod attinet, nomen pacti offendo non uno modo Autoribus derivatum. Julius Cæs. Scaliger c. 25. *de L. L.* derivat illud à Græco πάσι, quod fuit verbum vetus, & significavit tam sequi quàm assequi: alii à palmarum percussione cum gl. *in l. 1. §. 1. ff. de pact. & l. 1. ff. de cens.* vel à pace ejusque actu quasi pacis actu, Baldus *in l. 1. n. 4. de pact.* Azō *in Summ. Cod. de Pact. n. 4.* pipilo explosi atque reprehensi à Valent. Guilh. Forstero *in Tract. suo Method. de pact. c. 1. Opin. 1. & 2.* alii aliunde. vide Festum in Pacionem, & Dn. Dionys. Gothofredum *ad d. l. 1. §. 1. de Pact. lit. q.* mihi præferendum videtur, quod docet Matth. Wesembecius *in Com. ad ff. t. de Pact. n. 2.* quem probat Magnif. Dn. D. Tabor moderatorum Jctorum Phœnix, inque Academia Giessena hodie Professor longè celeberrimus *Disp. Wesenb. 7. q. 3.* nimirum pactum descendere ab antiquo verbo pago, cujus originem ducit laudatus Becmannus *de Orig. Lat. Ling. pag. m. 544.* ab Hebræo פגם i. e. impedit occurrendo, incurrit & incidit in aliquem impellendo, item impedit in aliquem precibus. Nisi forsan à paco derivare malis, quod occurrit nonnunquam in 12. Tab. ut in illa lege: si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto. Forst. *de pact. c. 6. m. 1.* Neque adversatur splendidissimæ Tyrriorum Coloniae decus ille ἰνοματοβίος Ulpianus *lib. 4. ad edict.* cui pactum dicitur à pactione

à pactione: fortassis enim dicitur scripsit pro ducitur, ut in l. 1. pr. de just. & jur. Quippe à pactione verè promanat atque existit pactum veluti effectus à causâ. non quod propriè jus sit, ut minus rectè Wesemb. vult d. t. & n. quem sequi videtur Forst. de pact. c. 2. q. 1. cùm jus sive obligatio pacto opponatur in l. 17. pr. de pact. & passim in jure nostro, sed quod *pactio sit quidem actus ipse, at pactum*, verba sunt Clarissimi Dn. D. Henrici Hahn, olim in illustrissima Julia Præceptoris mei æternùm venerandi, *denotet factum seu negotium pactione perfectum, eodem modo, quo damnus dicitur à demptione, quia aliter non contingit damnus, nisi aliquid dematur, l. 3. de damn. inf.* Videatur ipse in *observ. ad Wesemb. parat. ff. de pact. n. 2. Duar. Disp. 8. Magnif. Dn. D. Tabor ad Wesembec. Disp. 7. q. 2. C. J. A. de pact. th. 3.*

## TH. 3.

Vocabulum legitimi verò procul dubio à lege est, quamvis id, ex quo ipsa lex descendit, non ita pateat. Nonnulli enim eam appellatam volunt à ligando. Sed perperam, quia analogia obstat, & quando de lege prædicatur, quod obliget, illud fit per metaphoram desumptam à vimine aut fune. Rectiùs itaque lex à legendo dicitur, haud secus ac rex à regendo audit, quod ex compluribus quasi regulis collecta sit, quodve publicè legeretur, aut à deligendo juxta Ciceronem *lib. 1. de legibus fol. m. 159. fac. 2.* ubi inquit: *ut illi, Græci scilicet, equitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus.*

## TH. 4.

Quoad homonymiam notandum est pactum in jure nostro accipi primò generaliter pro omni conventionione dandi & faciendi, l. 1. §. 2. ff. de pact. l. 15. de præscr. verb. & l. 71. pro soc. Conferatur Hieronymus Gratus 2. Conf. 108. n. 19. Jas. ad rubr. C. de transact. n. 1. 2. Wesemb. parat. ff. de pact. n. 2. & ad illum Bachov. in not. ibidem. Hieronym. Treutl. *Select. Disp. vol. 1. disp. 6. th. 1. in ex. d.* Hahn. in *obs. ad Wes. t. de pact. n. 2. verb. Primum in genere.* Dissentiunt Duar. de pact. 2. D. 8. c. 1. Cujac. in l. 7. §. 5. ff. de præscr. verb. Borch. de pact. c. 1. & 2. Ant. Matthæi *Coll. fund. jur. D. 23. th. 44. Coll. ff. disp. 5. th. 4. & D. misc. 4. sub init.* Secundò specialiter pro



conventionem sine causa & nomine, i. e. quæ in placito carente nomine vel causa consistit, *arg. l. 7. §. 1. de pact.* tam si pariat obligationem ex adminiculo aliquo extrinseco, nimirum legis, de quo in præsentia negotium est, *l. 6. ff. de pact.* aut ad assistentiæ contractus, *l. 7. §. 5. & seqq. eod.* quam si non pariat, utpote quæ in nudo placiti sine moratur. *l. si tibi. 27. C. de loc. cond.* Tertio sumitur pro instrumento, quo pactum continetur, ut in *d. l. 7. §. 12. ff. de pact.* ad quam vide Dn. Gothofr. *in not. lit. h.* Cujac. *l. 15. in fin. ff. de transact.* C. I. A. *th. 9. num. 2. th. 20. in f. pro soc.* Aliquando etiam denotat id, quod datur pacti nomine, *l. 3. C. de obseq. patr. præst.* conf. Gothofr. *ad d. l. 3. lit. k.* & C. I. A. *de pact. th. 2.*

## TH. 5.

Ita quoque legitimum non unam habet significationem: vel enim denotat quodcumque quovis modo à lege introductum, constitutum, proditum & probatum est, *l. 2. §. 15. de orig. jur. l. 1. pr. & l. 3. pr. de leg. tur. l. 8. §. 1. ff. de jur. Cod. §. 1. I. de Sc. Tertull. l. 14. ff. de Transact. l. 6. pr. ff. de inoff. test.* quo sensu etiam contractus tam Juris Gentium, quam Juris Civilis legitimi dici possunt juxta Clariss. Dn. D. Hahn. *in obs. ad parat. ff. Wesenb. de pact. n. 4. verb. Legitima conventio.* Conf. in Alma hac Argentoratensium Academia venerandus Senior Dn. D. Joh. Rebhan *in Hodeg. chart. 2. clim. 3.* atque in eadem meritissimus Digest. Professor Dn. D. Frider. Deckher. *in Disput. inaug. de leg. lib. th. 1. mei Præceptores, Patroni ac Promotores multis nominibus perpetim colendi.* Vel sumitur strictius & prædicatur solummodo de pactis in specie sumptis, quibus lex ad assistit, iisque efficaciam obligationis civilis tribuit, *l. 6. ff. de pact.* ad quam vide Duar. nec non Helfr. Ulric. Hunn. *de Pact. c. 2. q. 1. verb. ad primum.* Et in hac significatione legitimum rursus aliud est propriè sic dictum, cujus lex civilis, Scrum & Principis constitutio autor existit, *l. 35. §. 5. C. de donat. l. 6. C. de dot. prom. l. 11. §. 1. l. 17. §. 6. de injur. l. 17. §. 1. l. 7. §. 14. de Pact. l. 27. §. 2. verb. sed si. & §. 4. eod.* aliud magis impropriè, quando scilicet nudam conventionem Prætor edicto suo adjuvat. *l. 1. de Pecun. Const. l. 1. de Pign. act. junct. arg. l. 17. §. 2. de Pact.*



Denique respectu Synonymiæ pactum legitimum aliter in jure nostro, & aliter Doctoribus passim indigitatur. In jure nostro 1. audit legitima conventio, *l. 5. & 6. ff. de Pact.* 2. Simpliciter conventio, *l. 11. de Pact. dotal.* Est enim conventio vocabulum generis, & competit omnibus speciebus, contractibus tam nominatis, quàm innominatis, *l. 7. pr. eod.* Pactis tam non nudis seu vestitis, quàm nudis omnique fomento carentibus, *l. 27. C. de loc. cond.* haud secus ac ipsum vocabulum pacti, quemadmodum *th. 4.* notavi. add. *l. 12. & l. 14. C. de pact.* Quare etiam 3. sub simplici pacti nomine venit, *l. 4. C. de dot. prom. l. 11. ff. de pact. dot.* 4. dicitur pactio, *l. 8. ff. de pact. dot.* quamvis accuratè loquendo pactum & pactio inter sese differant tanquam causa & effectus. *l. 1. §. 1. de Pact.* Forst. *de pact. c. 2. q. 1.* Hahn. *in obs. t. de pact. n. 2.* non enim rarum est in jure nostro causam & effectum aliquando inter sese confundi. Dilucidè id apparet ex *§. 2. l. de obl. junct. l. 19. ff. de V. S. & ex l. 23. de pact. l. 11. 12. C. eod. junct. l. 5. l. 29. C. d. t. de pact. l. ult. §. 1. ff. de pact. dot.* Hackelm. *Disp. 2. th. 2. C. I. A. de Pact. thes. 3.* 5. Pactum conventum, *l. 3. ff. de pact. dotal.* fortassis eam ob causam, quod pactum in se consideratum solà paciscentium conventionem constet, *l. 15. C. famil. ercisc. l. 27. C. de loc. cond.* Hackelm. *disp. 8. de pact. th. 10.* Cont. *lib. 1. D. c. 17.* Coras. 1. *Miscell. 1. n. 4.* 6. Lex *l. 7. pr. de pact. dot. l. 20. §. 1. eod.* non quidem ratione legis, quæ illi adfuit actionis producendæ causa potens adjuatrix, sed ratione ipsius pacti seu nudi placiti: sicut enim lex propriè sic dicta totam civitatem vel hanc aut illam ejus partem ita pactum paciscentes obligat. 7. Voluntas *l. 5. §. 1. in quib. caus. pign. vel hyp. tacit. contr.* 8. pollicitatio in *Rubr. C. de dot. prom. & l. 6. eod.* conf. Bronch. *cent. 1. ass. 31.* Forst. *de pact. c. 2. q. 8.* Proprietate tamen verbi pollicitatio à pacto divertitur, cum hoc conventio sit, illa vero saltem unius promissum, *l. 3. ff. de pollic.* hoc interdum uterque paciscentium obligetur, si scilicet ita convenit, illa tantum qui promissum offert: hoc ut plurimum cum privato ineatur, illa verò Reipublicæ fiat, *l. 3. pr. de pollic. l. 19. pr. de donat.* aut Ecclesiæ, quo casu potius votum appellatur, *l. 2. de Poll.* vide Bach. *in Comm. ad t. de pact. p. 563. C. I. A. d. t. th. 5.*



## TH. 7.

Doctores illud vocant *Legis auxilium*. Zasius in ff. ad t. de Pact. Ang. Mattheac. lib. 1. de via jur. c. 6. Pactum non nudum. Gregorius Lopez. 1. Animadv. 8. n. 2. Henr. Hahn. in Obs. ad parat. ff. Wesenb. de pact. n. 2. & alii. A quibus malè cum suis asseclis dissentiunt Cujac. in l. 1. de Pact. Coraf. 1. Misc. 1. Ant. Matthæi Coll. fund. jur. Disp. 23. th. 36. Coll. ff. D. 5. th. 3. Hunn. de Pact. cap. 2. q. 5. nisi intelligi velint de ipsa pacti essentia. Etenim licet verum sit pactum legitimum intrinsecè ex se & sui natura nudum esse, & ob hoc à contractibus tam nominatis quàm innominatis differre, arg. l. 7. §. 1. ff. de pact. d. l. 7. §. 2. l. 5. §. 1. & seqq. de prescript. verb. nihilominus tamen extrinsecè & ex accidenti propter legis adhesionem non nudum rectè vocari, quis negare audeat. Pactum vestitum, Azo in summ. C. de Pact. n. 2. & seq. Mantica de tac. & amb. conv. lib. 24. c. 2. n. 1. & seq. Hahn. d. l. Pactum justum. Garond. 1. verif. 4. Fach. 13. contr. 13. per l. 92. §. 4. quam tamen de pacto legitimo loqui, cum potius istius argumento pactum nudum per pactum contrarium nudum ipso jure tollatur, ego non existimem. Pactum confirmatum: Pactum civile. & quæ similis farinæ apud Ant. Fabrum, Althusium lib. 1. Dicaol. & apud Dd. passim reperire sunt alia.

## TH. 8.

Hisce pro instituti ratione breviter quidem, sed necessariò præmissis juxta clarissimum monitum jam supra laudati nunquam satis laudandi Magnif. Dn. D. Joh. Ott. Taboris Elem. jur. p. 3. sect. 4. in ex. ut & perquam eximium, mihi que instar omnium certissimum exemplum Dn. D. Frid. Deckherri, Juris Consulti celeberrimi, mei Præceptoris, Evergetæ, Patroni & Promotoris æternùm observandi in Analys. ad l. 37. ff. de acquir. vel amitt. poss. thes. 3. ad rem ipsam devenio, initium faciens à definitione, quemadmodum vult apud omnes celebratissimus Cicero, quando lib. 1. de off. ita scribit: *Omnia que à ratione suscipitur de re aliqua institutio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit illud, de quo disputetur, seu ut habet Julianus, lib. 50. Digest. ut animadvertatur, quid sit, de quo queritur.* Add. Mozz, art. 1. de contr. num. 1.

Puto

Puto itaque pactum legitimum haud ineptè definiri posse, quod sit Pactum, quod à lege quacungq; ad producendam vel perimendam actionem specialiter & expressim confirmatur.

## TH. 9.

Quoniam verò in definitione nihil esse debet supervacaneum, arg. l. 1. quod met. caus. nihilque absque ratione collocatum arg. l. 1. §. ait prator. 11. & §. quod autem 33. cum seqq. ff. de vi & vi armat. ea, quibus definitio mea constat, seorsim proposita aliquantulum fusius declarabo. Statim autem in fronte ipsius conspicitur vocabulum τὸ pactum, quod rectius forsan pacti legitimi genus constitui, quàm cum Vultejo 1. Iuripr. Rom. c. 44. Coraf. lib. 1. Miscell. c. 1. n. 2. & aliis conventionem: quia, licet nullus negem, imò asseruerim supra th. 6. in pr. sub conventionem tanquam termino universaliori venire quoque pactum legitimum, tamen genus utique proximius est pactum in specie sc. sic dictum. Quod definiri potest cum Clarissimo Dn. D. Hahn. in Obs. r. de pact. n. 2. verb. hoc in significatu: conventio, quæ caret nomine & causâ, i. e. prout ipse explicat, quæ in placito eo, quod est extra nomen vel causam consistit, arg. l. 7. §. 1. de pact.

## TH. 10.

Sequitur: quod à lege quacungq;. nam vocabulum legitimi in propria significatione acceptum, multò quàm civile est arctius, & notat interdum vel leg. 12. Tab. vel SCtum, vel Principis Constitutionem, l. 1. in fin. ex quib. caus. maj. 25. ann. l. 2. §. 7. de pact. Sed hoc in loco latius sumitur, nimirum pro alia quavis juris parte; Gædd. in Tract. de Contr. stip. c. 2. n. 26. Vult. in pr. 1. de obl. n. 28. Forst. de pact. c. 4. m. 1. Ampliff. Dn. D. Rebhan. in Hodog. ch. 2. clim. 3. th. 4. in ex. ut aded illa duo lex & SCtum in l. 6. de pact. tantum modò exempli vicem sustineant. Quod etiam exinde patet, quod in illa dispositione legitimum & civile sibi invicem non opponantur, sed legitimum & id, quod ex jure Gentium provenit. Conf. citatus Forsterus d. l.

## TH. 11.

Ulterius: ad producendam vel perimendam actionem. Quippe quædam pacta producunt actionem, quædam verò tollunt eã,  
ut

ut rectè docet Clarissimus Dn. D. Hahn. *d. l. n. 4. verb. Legitima conventio*, & ego infra in divisione ostendam.

## TH. 12.

Porro: *Specialiter & expressim per l. 6. ff. de Pact.* Unde sponte sua fuit, pactum de usuris argentario dandis, & pactum de usuris frumenti, vini, olei &c. nequaquam esse pacta legitima: cum hoc modo ullius Imperatoris Constitutione ad producendam actionem confirmata fuisse nullibi reperiat. Quemadmodum probè observavit Helfr. Ulric. Hunnius *de pact. cap. 2. quæst. 9.*

## TH. 13.

Ultimum locum obtinet verbum: *Confirmatur*. Hoc autem primo non est interpretandum, ac si idem significaret, quod approbatur. Sicut id accipit M. Wesenbec. *in parat. ff. de pact. n. 4.* rectè reprehensus ab acutissimo D. Bachovio *in not.* & qui eum sequitur Clarissimo Hahn *in obs. d. l.* Neque secundo sumi debet pro dare, quamvis hoc verbum talem sensum aliquando recipere Lexicographi scribant, & sese alibi docuisse moneat Forsterus *de pact. c. 4. p. m. 52.* Etenim pacta legitima sunt, quæ lege quâdam speciali confirmantur, non autem quæ dantur. Ut proinde erroneam & planè falsam istam sententiam opiner, quam fovet Forster. *d. l. Ant. Faber. in not. ad l. 5. de pact.* Hieron. Treutlerus *in Disp. de pact. th. 2. & in D. de donat. th. 1.* cum aliis statuentes omne pactum legitimum esse contractum & vice versa omnem contractum esse pactum legitimum, ut id hætenus sic satis clarè demonstrat Hunn. *de pact. c. 2. q. 5. & d. c. q. 6.* cui jung. Clariss. Hahn. *d. l. verb. legitima conventio.*

## TH. 14.

Progredior ad divisionem. Dividitur itaque pactum legitimum in liberatorium & obligatorium. Liberatorii, i. e. Pacti istius, quod obligationem & actionem tollit ipso jure, exempla proferri possunt duo: nimirum pactum injuriarum, quo injuria alicui remittitur, *l. 17. §. 1. de pact. l. 11. §. 1. vers. proinde ff. de injur. l. 16. §. 6. eod.* & pactum furti, cujus interventu à furti jam commissi intentatâ actione receditur, *l. 7. §. 14. l. 17. §. 1. de pact. l. si*  
pro



pro fure. 7. de condict. fure. secus respectu habito ad furtum nondum perpetratum, & adhuc futurum, l. 27. §. 4. in fin. de Pact. Dn. Gothofr. ad l. 7. §. 14. ff. de pact. lit. g. & ad l. 7. ff. de condict. furt. lit. f.

## TH. 15.

Hiscæ Forsterus adjicit alia tria; primum ex ll. 12. Tab. eâ lege: *si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto.* cujus mentio fit in §. 7. I. de injur. alterum ex earundem ll. 12. Tab. alio loco *rem ubi pagunt, ita ni pagunt, in comitio, aut in foro ante meridiem causam conjicito.* i. e. quemadmodum cum Hotomanno idem Forster. explicat: uti rei inter sese pacti sunt, antequam in forum aut comitia veniunt, ita jus esto: tertium ex illa lege, quâ *eris alieni confessi debitor, judicatus, nisi cum creditore intra triginta dies paciscitur, sexaginta dies in vinculis retinetur, & tertius nundinis capitis pœnas luit, aut, si rei sint plures, in partes secatur.* Verùm quia hæc non modo transactiones dicenda rectius videntur ipsi Forstero de pact. c. 4. membr. 1. sed & jam longè ante Justinianum Imperatorem in desuetudinem abiêre, d. §. 7. I. de injur. l. 12. C. de Obl. & Act. Liv. lib. 8. Quint. 3. c. 7. satius duxi, si cum Clariss. Dn. D. Hahn, cui olim Præceptor meo non immeritò, quoad fieri potest, continuum lubens præsto obsequium, illa omitterem. Add. C. I. A. de pact. th. 10.

## TH. 16.

Equidem huc quoque refert Bachovius in Prot. de Pact. p. 578. n. 10. pactum commissorium & pactum in diem additionis; at quod pace tanti viri, qui alias quasi divino judicio & incomparabili ingenii acumine multa egregia conscripsit, dicere liceat, minus rectè: cùm illa & hujusmodi alia inter pacta adjuncta, quæ utriusque contrahentium consensu principali alicui contractui applicantur, recensenda sint; inter legitima non item. Conf. Hahn. d. l. Quod autem nonnulli jusjurandum addere conentur ex l. 2. ff. de jurejur. ab Hieron. Treutlero notatum, nec malè improbatum offendi Disp. Sel. vol. 1. D. 6. de Pact. th. 2. in ênd. circa finem.

B

TH. 17.

Haecenus itaq; firmo talo consistit, quod sub principio *th. 14.* duo tantū pacti legitimi liberatorii exempla profertur posse innuerim; scilicet respectu habito ad jus nostrum Civile Romanum. Hodie verò quia pactum non solum Jure Canonico, *arg. c. 1. & 3. de pact. junct. c. si verè 34. extr. de sent. excomm. ibi: cum ad hoc. c. fin. dist. 9. c. dilecti. 4. de judic. junct. ad Rom. c. 1. v. 31. ibi: à consuetudine & moribus nostris Wesenb. t. de Pact. n. 9. vers. quanquam Carpzov. jur. forens. p. 2. c. 19. d. 17. n. 7. Treutl d. l. obligationem & ex illa actionem producit; sed & priorem actionem, contrario suo interventu ipso jure extinguit, *arg. l. 27. §. 2. ff. de Pact. ibi: tollitur stipulatio per stipulationem, quia in stipulationibus jus est facultas ad agendum continetur, acceptilationem & novationem cum Clariss. Dn D. Hahn. d. l. n. 4. verb. legitima conventio, inter pacta hæc legitima locum non absurdè tribuas. Cum moribus nostris ex generali consuetudine acceptilationem & novationem per nudum pactum confici posse locupletissimè testes sese offerant Treutlerus *Disp. vol. 2. D. 29. th. in ex. d. sub pr. Hahn. in Obs. ad parat. ff. Wesenb. t. de Accept. n. 4. Quod olim secuserat per l. 1. §. 1. ff. de nov. & deleg. l. 11. eod. l. 1. C. eod. §. item per acceptilationem. Instit. quib. mod. toll. obl. Conf. Wesenb. in parat. ff. de novat. & deleg. n. 6.***

## TH. 18.

Obligatorium rursus dispertiri potest in Civile in specie sic dictum, & Prætorium. Ad illud, cui lex, Sctum aut Constitutio Principis opitulatur, refero pactum dotis, quo quis dotem citra solennitatem qualibus qualibus verbis præstandam promittit *l. 48. ff. de jur. dot. l. 59. l. 44. §. 1. l. 46. §. 1. l. 54. eod. l. ult. C. ad SC. Vellei. C. 1. A. de pact. th. 11. & pactum donationis, quo quis nudo placiti sine absque traditionis aut stipulationis interventu aliquid alicui donat, *l. 3. §. 5. Nov. 162. c. 1. Hackelm. 2. q. 3. c.* Ad hoc verò, quod Prætoris edictum sustentat, referendum censeo pactum constituti *l. 1. de pecun. const. ubi Prætor adversus eum, qui pactus est, se soluturum aut facturum, quod vel ipse vel alius justam ob causam solvere aut facere debet, judicium pollicetur. Jung. l. 16. §. 2. l. 18. in pr. de pecun. const. §. 9. l. de Act. C. 1. A. de pact. th. 12.**

th. 12. & pactum hypothecæ; quando nimirum res quædam sine traditione, quæ ad pignus in specie sic dictum, utpote contractum realem necessaria est, §. 4. l. quib. mod. re contr. l. 1. §. 1. de pact. nudo pacto in hypothecam constituitur l. 9. §. 2. ff. de pign. act. conf. Hahn. Obs. 1. de pign. act. n. 1.

## TH. 19.

Sed de pacto dotis à Johann. Coraf. in l. 19. n. 78. Cunon. de pact. c. 6. n. 43. Borch. de pact. c. 2. n. 23. diversam sententiam fovent Donellus l. 10. n. 11. C. de Pact. Franc. Connanus s. Comm. 3. & qui illos citat Hunnius de Pact. c. 2. q. 7. Hi enim existimant dotis promissionem non nudum aliquod pactum sed causam esse, & incidere in contractum innominatum, do ut facias: Dos enim, ajunt, promittitur, ut matrimonium ineatur. Pro quibus potissimum facere videntur, l. un. §. 5. C. de rei ux. act. & l. 8. ff. de cond. caus. dat. ubi conditio causa data causa non secuta repenti dotem conceditur contra illum, qui dote obtentâ nullas tamen nuptias celebravit. At omninò inficias eo, nuptias seu matrimonium esse causam dotis: cum quòd causa, i. e. datio vel factum statim interveniat in ipso negotio, arg. l. 5. §. 1. & seqq. de prescr. verb. l. 7. §. 2. de pact. nuptiæ autem sequantur, & non interveniant: tum quod negotium causam habens pariat actionem præscriptis verbis dd. ll. ex nuda verò dotis promissione producat conditio ex lege l. 6. C. de dot. promiss. quam hodieque procedere nec correctum esse per l. un. C. de rei ux. act. §. 1. cum Coraf. in l. 9. p. 2. n. 104. & seqq. de rit. nupt. & Cun. p. 1. h. c. 6. n. 43. verius existimant Hieron. Treutl. Select. Diss. vol. 1. D. 6. th. 2. in ex. b. Forsterus de pact. c. 6. Imò ne quidem ex stipulatione dos debetur, nisi nuptiæ secutæ sunt, cum tamen pro certo ponendum, stipulationem tanquam contractum causam habere Forst. d. l. Sunt itaque nuptiæ nihil aliud quam tacita quædam conditio secundum l. 4. §. 2. de pact. C. I. A. de pact. th. 17. ob quam dos repeti potest, si non impleatur, d. l. 8. ff. de cond. caus. dat. caus. non sec. Nec tamen hinc rectè concluditur, si ad repetitionem dotis competit conditio causa dat. caus. non secuta. Ergò nuptiæ sunt causa, & per consequens promissio dotis contractus innominatus, do  
B 2 ut facias.

ut facias. Etenim, ut taceam differentiam inter dotis promissionem & dationem, quam hactenus rectè agnoscit ipse Hunnius *d.l. actio*, quæ alioquin ex contractu provenit, juris quadam fictione sæpius nobis concessa est, licet ille contractus non inter-  
 venerit. Evidens exemplum est in *d.l. un. C. de rei uxor. act.* ubi Imperator ad dotis exactionem concessit actionem ex stipulatu, licet stipulatio vel nulla vel inutilis intercesserit.

## TH. 20.

Circa pactum donationis nonnulli dissentire videntur, quando conventionem istam in se consideratam non nudum quoddam donationis pactum, sed ipsam donationem venditant, per *l. 35. si quis argentum. C. de donat. & §. alia. 2. l. eod.* hanc autem per pactum legitimum definiunt. Inter quos vide Cujacium *10. obs. 28.* Francisc. Hotoman. *c. 10. D. de don.* Helfr. Ulr. Hunn. *de pact. n. 2. q. 8. op. 1.* Verum enim verò magna est differentia inter pactum donationis & ipsam donationem, tam quod per pactum fiat donatio, & aliquando tantum, *l. 17. de donat.* quàm quod pactum donationis pactum sit legitimum, *d.l. si quis argentum. 35. C. de donat. & §. alia. 2. l. eod.* quo datio perficitur, & donans sive voluntatem suam scriptis, sive sine scriptis manifestaverit, exemplo venditionis ad traditionem, vel ipsius rei donatæ, *§. 2. l. de donat.* vel ejus, quod interest, *l. 17. C. de fide instr. arg. l. 72. pr. de Verb. Obl. Ant. Matthæi Coll. j. 2. D. 4. th. 26.* efficaciter obligatur; donatio autem resultat actus, *l. 3. §. 1. de Obl. & Act. l. 77. de R. I. junct. l. 19. de V. S.* Quemadmodum dictorum textuum argumento eam, cum inter illa negotia veniat, quæ variè perficiuntur, rectè definiunt Clariss. Hahn *in obs. 1. de donat. n. 2.* & Dn. D. Biccus b. m. olim Præceptor meus in hac Argentoratensi Academia desideratissimus *in Aur. sect. 3. in c. 50.* Licet Anton. Matthæi *Coll. fund. jur. D. 26. th. 5.* se dubitare profiteatur, an donationis genus, quod omnes ipsius species commodè possit comprehendere, in toto nostro jure reperiendum sit; sese tamen quasi Aristarchum agens *Coll. ff. D. 43. sub pr.* ubi æquali reprehensione dignus cum Sudholt *Diss. 6. Aph. 31. 32. & 35.* dationem suppeditat ex *l. 35. §. 1. de mort. caus. donat. & arg. l. 1. C. de dot. caut.* Quippe à Paulo

à Paulo in *d.l.35. §.1.* donatio nequaquam definitur, sed ipsius nominis notatio exhibetur. *conf. Hahn. t. de donat. n.2.*

## TH. 21.

Hinc quoque existimo, non posse procedere illorum sententiam, qui donationem per contractum definiunt. Nam, ut dixi, omninò distinguendum est inter actum, qui est donatio, & inter modos, per quos iste actus perficitur donatioque informatur; quales sunt mortis causa: collatio in aliquem facta metu mortis, inter vivos: juris vel debiti remissio, *l.12. pr. de novat.* acceptilatio, *l.17. de donat.* pollicitatio *l.19. pr. de donat. l.15. C. de SS. Eccles.* conductio rei donatæ, *l.77. de rei vind.* retentio ususfructus *l.28. C. de donat.* vera traditio, qua res corporaliter traditur. pactum nudum, legitimum tamen *l.35. C. de donat.* contractus innominatus, do ut facias, *l.2. §.f. l.18. §.1. & 2. de donat.* & contractus nominatus stipulatio, *l.2. C. de evict. l.17. l.33. ff. de donat.* *Conf. Locam. D. de caus. act. th.53. D. Tabór Elem. jurispr. meth. p.2. th.19. in s. d. Bicc. in Aur. sect. 3. inc. 50. Hahn. obs. ad parat. ff. Wesemb. de donat. n.6.* Sed pro contraria sententia facere videntur inter alia argumenta, quæ videre sunt apud Hunnium *c. 2. de Pact. q.8. op.2. potissimum l.7. C. de his quæ vi metusq. caus. l. fin. pr. C. de bon. qualib. Nov.38. Nov.119.* in quibus constanter donatio contractus audit. Quid itaque respondendum? citatus Hunnius in *d.l.7. C. de his quæ vi metusq. caus.* verba: *vel alterius cujusque contractus* restringit ad proximum præcedens stipulationis nomen, minus rectè transactionis nomen adjiciens: Transactio enim decisio est *l.38. C. de Transact. l.3. §.1. ad L. Falc.* quæ per conventionem perficitur, *arg. l.2. ff. de Transact.* non autem est ipsa conventio. Ad *Nov. verò 38. & Nov.119.* respondet, in illis tractari non de donatione inter vivos pura & simplici, sed de donatione propter nuptias, qua ex nova Justiniani constitutione contractus facta est. Verùm utut nemo negabit, inter donationem propter nuptias & cæteras donationis species magnam esse differentiã, quod ex earum numero veniat, quæ non ut propriè dictæ donationes ex mera liberalitate proficiuntur, vid. *Clariff. Hahn. in Obs. t. de donat. n.3. junct. t. de mort. caus. donat. n.1. & dotis compensandæ*

penlanda necessitatem Nov. 97. c. 1. § 2. formamque magis ex legis præscripto, quàm ex arbitrio donantis recipiat, notante Dn. D. Greg. Biccio in *Aur. sect. 3. incis. 53. & 54.* attamen donationem propter nuptias propriè dictum contractum esse concedendum non arbitror. Est enim donatio propter nuptias actus, Harpr. ad §. 3. l. de donat. utpote donationis species Magn. Dn. D. Tabor *Elem. jur. meth. p. 3. sect. 4. n. 22.* nec ex se suaque natura actionem producit, sed vel ratione hypothecæ l. ubi adhuc. 29. cum Auth. seq. C. de jur. dot. vel quatenus ipso jure citra traditionem modus acquirendi est, §. 3. l. de donat. junct. Nov. 61. c. 1. l. ubi in rem actionem. D. Bicc. *sect. 3. inc. 51. in exd.* Conf. Hahn. t. de jur. dot. n. 11. t. de donat. n. 7. Et concessio Hunnio, quod tamen allegatorum Clarissimorum virorum autoritas atque ipsius rei controversæ natura prohibet, imperatorem donationem propter nuptias specialem, & propriè sic dictum contractum effecisse, nondum tamen adversarii rem actam haberent: non enim exinde rectè inducitur. E. donatio in genere per contractum definienda est: cum una hirundo non faciat ver, neque exceptio in regula id, à quo deflectit, immutet, sed confirmet potius. Quapropter rectius forsitan responderi potest, in oppositis textibus in universum, ut in l. 17. pr. C. de fid. instrum. l. 8. pr. C. de præscr. 30. vel 40. annor. vocabulum contractus minus propriè & in latissima significatione sese offerre, ita, ut per illud quodlibet factum, ex quo quædam obligatio promanat, intelligendum sit. Conf. Hunn. d. l. Clariss. Hahn. t. de pact. n. 2. & t. de precar. n. 2.

## TH. 22.

Quod verò alii, Obrechtus & ipse Bachovius in not. ad *ves. t. de donat. n. 2.* donationis genus constituant modum acquirendi domini, id præter allata neutiquam admittit illud principium, quod genus perpetuum esse, omnique speciei respondere debeat. Nam licet ex donatione propter nuptias & mortis causa ipso jure d. Nov. 61. c. 1. l. ult. in f. C. de mort. donat. caus. ex donatione verò per traditionem §. 41. l. de rer. div. & per retentionem ususfructus conductionemque rei donatæ, quæ vice traditionis habentur, l. 77. de R. V. non tam ob donationem seu titulum quam propter

propter traditionem seu quasi traditionem, l. 31. pr. ff. de acquir. rer. dom. dominium proveniat, conf. Bicc. sect. 3. inc. 43. Et d. 51. in 2. d. attamen sunt nihilominus alia donationis species, nimirum donatio, quæ fit per nudum pactum, quæ fit per contractum innominatum, quæ fit per stipulationem, quæ sanè nullo modo inter dominii acquirendi modos referri sciunt. Ut silentio præteream, quod ex acquirendi modo nunquam nascatur conditio ex lege, detur autem ex aliqua donatione, quam scilicet pactum legitimum perficit, l. 35. §. 5. C. de donat. Conf. Clariss. H. hn. in Obs. 1. de donat. n. 2.

## TH. 23.

Ratione constituti scrupulum injicere videtur M. Wesenbecius, constitutum in parat. ff. de pecun. const. n. 4. contractum nominatum, ad eoque conventionem ex sese actionem producentem d. judicans. Sed facillimo negotio eximi poterit, si ipsius argumenta accuratiori trutinâ ponderemus. Quid enim, quale, geminata conventio, in qua primum argumentum subsistit ad contractum confertur, cum hanc conventionum pluralitas inimè efficiat, si utraque sit pactum nudum, quale pro ul dubio constitutum est. Etenim uti pactum nudum simplex ad procreandam actionem ineptum est, l. 7. §. 4. v. igitur. ff. de Pact. ita eodem modo geminatum. Alterum ducitur à fidejussione, d. n. §. n. 2. hisce verbis: nudum esset pactum, si non exemplo fidejussionis ad præcedentem aliquam obligationem adjungeretur; Verùm rectè monet Dn. Bachovius in not. ibidem, fidejussionem non propterea dicendam contractum, quod ad aliam obligationem referatur, sed quod per stipulationem fiat, seu potius ipsa sit stipulatio, l. 5. §. facta acceptio. ff. de verb. Obl. Ant. Pichar. V. n. vel. in tit. Inst. de Fidej. in rubr. n. 1. & Ant. Henng. in elegantissimo Tract. de Fidej. c. 3. Nec movet, quod constitutum sit conventio certum nomen habens, licet hoc ipso imprimis commoti deprehendantur Bar. in l. 7. de Pact. Oldend. class. 4. art. 8. n. 3. Mantig. de rat. & ambig. conv. l. 1. Quippe solum nomen non perficit contractum, sed exigitur ultemus certa contrahendi forma, quæ in præsentiarum exulat, ut præclare docet Dn. D. Hahn in Obs. 1. de pact.

*t. de pact. & t. de pecun. const. n. 4.* Certo itaque certius est, constitutum nihil aliud esse quam pactum nudum, & quidem, quemadmodum supra *th. 13.* asserui, pactum legitimum, cui Prætor ob fidei, quâ repletum est, abundantiam Edicto suo specialiter adstitit, jusque naturale secutus agendi efficaciam concessit. *arg. l. 1. & §. 1. de pecun. const. junct. l. 6. de Pact.*

## TH. 24.

Denique quantum hypothecam considerat, res clara est, si inter hanc & pignus probè distinguamus. Quippe licet duo hæc vocabula hypotheca & pignus interdum promiscuè usurpentur, aded, ut *Jctus in l. 5. §. 1. de pignor. act.* inter ista nihil præter nominis sonum interesse scribat; tamen id ipsum procedit tantummodò hujus & istius certo respectu, qui apparet in *l. 1. de pignor. act. §. 7. l. de action. conf Bach. ad I. d. r. Hahn. in obs. ad t. de pign. act. n. 1.* Propriè autem hypotheca à pignore differt: illa enim nudo pacto fit, hoc per traditionem: illius possessio residet penes debitorem, hujus ad creditorem transit, *l. 9. §. 2. de pign. act.* illa obtinetur vi pacti legitimi actione hypothecaria, hoc vi contractus actione pignoratitiâ. Nam, quo & ipsum pignus aliquando actionem hypothecariam pariat, præsupponendi sunt termini habiles, utpote si creditor rei oppignoratæ possessionem amiserit; & tùm non amplius tanquam pignus propriè sic dictû, sed quatenus ab initio hypothecæ obligatum fuisset, consideratur. testante accuratissimo Bachovio ad *l. d. l. & ad t. ff. de pign. act.* Non verò adversus hæc, quæ certissimis juris fundamentis nituntur, admitti debet *Wesenbecius t. de Pignor. act. n. 3. ibi: nec enim solum traditione.* Etenim omninò falsum est, pignus, quod nudâ conventionem constituitur, contractum consensuale nominatum esse i. quod nuda conventio & contractus nominatus invicem sibi opponantur, *l. 7. §. 2. 3. & 4. de Pact. 2. contractus consensuales recenset Imperator emptionem venditionem, locationem conductionem, societatem, mandatum, pr. l. de Oblig. ex consens. planè autem nullam contractus pignoris ibidem mentionem facit. Et ad obstantem l. 23. §. 1. de pign. & hypothec. per quam etiam Fillucius *Tr. 38. c. 9. n. 167.* ut & *Johan. de Lugo**



Lugo D. 32. *sect. 2. n. 24.* in contrariam sententiam propendent, responderi debet: quod in illa contractus vocabulum longius evagetur, quam ut ad contractum propriè sic dictum commodè revocari queat, simili modo, quo in *l. 7. C. de his qua vi metusque caus.*

## TH. 25.

Extra omnem igitur dubitationis aleam ponendum est, pactum dotis, pactum donationis, pactum constituti, & pactum hypothecæ, *th. 18.* pacta legitima obligatoria rectissimè constitui. Sed, an adhuc plura in jure nostro inveniantur, quæstio altioris est indaginis. ego sanè non puto: nam quæ nonnulli, ex *Nov. 136. c. 1. l. 30. de usur. l. 12. C. eod. l. 5. & 7. ff. de naut. fæn.* adducere laborant, vid. *C. I. A. de pact. th. 11.* pacta sunt contractibus adjecta. Nec movet multum, quod Imperator forsitan de effectu eorum rescripserit: aliàs enim pacta legitima hodie infinita forent, quemadmodum testatur *Helfr. Ulr. Hunnius de Pact. cap. 2. q. 9.* Sic porrò Forsterum probare nequeo, quando *de pact. c. 4.* huc referre contendit contractus civiles, eam potissimum ob rationem, quòd, cum ad conventiones juris Gentium pertinere non possint, necessariò conventionibus legitimis adscribi debeant: quippe regero, *legem 6. ff. de pact.* loqui solùm de pactis in specie sic dictis, qualia stipulatio & literarum obligatio non sunt, utpote veri contractus *§. ult. I. de oblig.* Nec quicquam absurditatis secum importat, si concedatur, contractus civiles, neque ad pacta juris Gentium, neque ad pacta civilia legitima pertinere. *Conf. Hahn. in obs. ad parat. ff. Wesenb. t. de pact. n. 4. verb. legitima conventio. C. I. A. de Pact. th. 13.*

## TH. 26.

Verùm in juramento promissorio, quod, nullo præcedente vel adhibito contractu, ad aliquid dandum aut faciendum simpliciter præstatur, major difficultas primo intuitu apparet. Cum enim certum sit, jure civili obligationem ad agendum efficacem non oriri nisi vel ex contractu, vel ex delicto, vel etiam ex pacto aut adjecto aut legitimo; facilè verò constet, juramentum promissorium neque contractum, neque delictum, neque pactum  
C
adjectum

adjectum esse, interim tamen ex illo actionem resultare *l. 56. de Fidej. l. fin. de lib. caus.* necessariò ad pactum legitimum referendum videtur. Verùm quamvis negari non possit, quod *dd. ll. ex liberti jurejurando obligatio atque actio promaneat*, interim sciendum est, hoc ipsum fieri per exceptionem atque jure quodam singulari, quod in universum ad juramentum promissorium nequaquam extendi debet cum Covarr. *in C. quamvis de pact. 6. p. 1. §. 2. n. 4.* Joh. de Lug. *Disp. 22. sect. 8. n. 204.* Wefenb. *parat. ff. de jurej. n. 5.* uti egregiè observat Clarissimus Hahn. *ad d. t. & n.* Deinde quodcunque non est conventio, illud non potest esse pactum legitimum. Atqui juramentum promissorium non est conventio, licet nonnunquam per conventionem fiat *l. 17. ff. de jurejur.* E. non est pactum legitimum, sed potius actus & attestatio cum invocatione nominis divini, seu qua ipse Deus in testimonium vocatur.

## TH. 27.

Et hæc circa divisionem monere operæ duxi pretium. Nunc aliquanto plenius pactorum legitimorum examen instituendum est. Utar autem communi, & in hac Celebratissima Argentorateni Academia usitatâ methodo, ita, ut res, in quâ occupatus sum, non modò per quatuor illas actionum humanarum causas efficientem, materialem, formalem & finalem manifesta fiat, sed ut etiam istius effectus, contraria & affinia subinde pateant. Est verò causa efficiens alia principalis, alia minus principalis: sub hac intelligo causam impulsivam; illam rursus distinguere placet in remotam & proximam.

## TH. 28.

Causa pactorum legitimorum impulsiva fuit æquitas: quid enim ad eò naturali æquitati consentaneum, quam ut ea, quæ inter contrahentes placuerunt, serventur, *l. 1. de pact. l. 20. C. de Transact.* Tum quoque Reipubl. detrimentum paciscentiumq; incommodum removendi necessitas: quod per juris Romani progressam autoritatem & mortalium incrementem versutiam naturalis obligandi libertas, cujus mentio fit *in l. 1. pr. l. 25. ff. de pecun. const. l. ult. C. Theod. de pact. l. 84. §. 1. de R. I. tam arctis finibus*

nibus inclusa esset, ut non præterquam ex Contractibus nominatis, *l. 7. §. 1. de pact. & innominatis, d. l. 7. §. 2.* obligatio ad excitandam actionem sufficiens oriri posset; cæteræ verò conventiones, instar turbæ inutilis, litibus magis inservientis quam rerum commutationibus aptæ, Perez. in *Comm. C. de Pact. num. 16.* Wesenb. *d. t. n. 9.* nequaquam alicujus actionis movendæ, sed tantummodò exceptionis objiciendæ facultatem haberent. *l. 45. ff. de Pact. & aliis, quas adduxit C. I. A. th. 84. de pact. Borcholt. de compens. c. 1. n. 22. Althus. lib. 1. Dicaol. c. 50. n. 2.*

## TH. 29.

De causa remota pactorum simplicium licet Doctores diversa opinentur, aliis tribuentibus eam juri Civili, Rittershus. *lib. 3. D. c. 1.* aliis juri Gentium, Cunon. *de pact. c. 24. n. 5.* Gædd. *de contr. stipulat. c. 2. n. 2.* Wesenb. *ad §. 3. I. de verbor. Obligat. lit. n.* nonnullis media via incedentibus, quando distinguunt inter originem & formam, ita, ut ratione hujus pactum acceptum ferant juri civili, illius verò respectu juri Gentium, Doctissimo Cujac. *ad l. 6. de Pact.* Alth. *lib. 1. Dicaol. c. 90. n. 4.* Attamen in id, arbitrator, omnes unanimiter consentire, pactorum legitimorum causam remotam non esse, nisi jus Civile. Hoc enim, sive sit *lex §. 7. l. de injur. l. 13. C. de furt. l. 17. §. 1. de pact. sive Senatuscons. l. 6. ff. de pact. sive Principis constitutio l. 35. § 5. C. de donat. sive jus Prætorium, l. 1. de pign. act. junct. arg. l. 17. §. 2. de pact. l. 1. de pecun. const. sive consuetudo, qua de dixi *th. 17.* pactum, quod aliàs tantum ad exceptionem proficit, specialiter confirmat, eumque in modum adjuvat, ut ex illo actio vel tolli, vel produci efficaciter queat. *dd. ll.**

## TH. 30.

Causam verò proximam repræsentant illi, qui legitima pacta ineunt. Quales sunt, qui paciscuntur circa injuriam *d. l. 17. §. 6. de injur.* circa furtum *d. l. 17. §. 1. de pact.* circa donationem *d. l. 35. §. 5. C. de donat.* circa dotem, *l. 6. C. de dot. promiss.* circa constitutum, *l. 1. de pecun. const.* circa hypothecam *d. l. 1. de pign. act. junct. l. 17. §. 2. de Pact.* Quinam verò ita pacisci possint, jamjam ostensus



surus sum, cum propositi ordinis filum ad expositionem causae materialis me perduxerit.

## TH. 31.

Dispertiri autem causa materialis potest, quod vel sit ex qua, vel in qua, vel circa quam. Ex qua denotat ipsam in specie & strictè sic dictam materiam, in qua subjectum, circa quam objectum. Ratione causae materialis ex qua, deprehendo pacta legitima confecta ex consensu paciscentium, & juris civilis speciali confirmatione. Quemadmodum enim in genere omnia pacta consensu fiunt, ille sit expressus, sive tacitus *l. 1. §. 3. vers. aded. l. 2. pr. ff. de pact.* ita quoque in specie pacta legitima, *arg. l. 6. ff. eod.* Juris verò civilis confirmatio, subintellige confirmationem ad actionem vel sopiendam vel suscitandam, hisce singulare & proprium est, *d. l. 6.* & secundum ea, quae supra *th. 11.* & alibi dicere anteverti.

## TH. 32.

Ad causam materialem in qua s. subjectum pertinet, quod *th. 30.* me ostensurum pollicitus sum. Et quidem, cum pacta legitima sint ex genere prohibitorum, h. e. ex illorum numero, quae regulariter cuiquam concessa sunt, ex specialibus verò causis huic vel illi particulatim prohibentur. *l. 8. ff. de accusat. c. 23. x. de spons. l. 43. in pr. & §. 1. ff. de procurat.* vide Nicol. Guinet. *in vind. pact. nud. p. 1. §. 10.* & qui illum citavit, Ampl. Dn. D. Joh. Rebhan, Praeceptorem ac Promotorem meum, nunquam sine laudis encomio praterendum, in sua *Hodeg. jur. ch. 2. cl. 2.* pro regula ponendum est, quod ea ab omnibus rectè perficiantur, nisi quibus specialiter interdicta sunt. *Cun. de Pact. c. 6. Wesenb. in parat. ff. de pact. n. 5.*

## TH. 33.

Inter eos autem, quibus interdicta comperior, quidam prohibentur natura, quidam lege. Natura prohibentur omnes, qui nequeunt consentire, i. e. capere & velle ea, quae sub negotio veniunt, *l. 11. §. 3. ff. de Pact.* Hackelm. *D. 8. th. 34. C. I. A. de Pact. th. 29.* Quorum numero continentur *l. Furiosi l. 1. §. 12. de Oblig.*  
 & Act.

& Act. qui ne quidem tutore vel curatore autore ad pacta legitima admittendi sunt, l. 5. ff. de R. I. nisi intervalla habeant, & tempore remissi furoris pacisci gestiant: tum enim quoslibet contractus celebrare possunt, l. 12. §. 2. v. natura. l. 39. de judic. l. penult. C. de curat. fur. Interdum tamen ob æquitatis suasionem furiosi consentire finguntur, ut probè notavit Clarissimus Dn. D. Hahn. in obs. de pact. n. 5. per l. 2. §. 2. solut. matr. pr. l. de nupt. l. 25. C. eod. l. 28. C. de Episcop. aud. II. Ebrii in summo gradu tales: cum furiosis admodum sint similes, c. 22. q. 4. cap. unusquisq. 8. c. 15. q. 1. cap. sanè discimus. 7. Bal. Sal. in l. 6. C. de dol. Dec. consil. 112. Tiraquell. in Tract. de pœn. caus. 6. n. 8. Welenb. parat. ff. t. de rit. nupt. n. fin. in c. dictum hæctenus. & pro absentibus habeantur, juxta illud: *absentem cadit, qui cum ebrio litigat.* III. Mente capti: hi enim, licet non prorsus furiosis respondeant, tamen illis admodum sunt similes, §. 1. I. quib. non est perm. fac. test. vid. Melch. Sachs/ Virum Nobilissimum, Amplissimum & Consultissimum hodieq; Spectabilem Argent. Juridicæ Facultatis Decanum, meum Præceptorem, Patronum ac Promotorem omni cultus observantiæque genere studiosè prosequendum, in D. de cons. in gen. cap. 4. inc. 73. & seqq. l. 25. C. de nupt. l. 28. C. de Episc. aud. §. 4. I. de Curat. IV. Infantes, per quos intelligi debent, qui annum septimum nondum impleverunt, l. 18. pr. C. de jur. delib. l. 1. §. 2. ff. de adm. & peric. tutor. l. 14. de spons. quia hujus ætatis homines nullum habent intellectum, d. l. 5. ff. de R. I. l. 1. §. 12. ff. de Oblig. & Act. nec in sensu juridico dari possunt, l. 2. ff. de adm. & peric. tutor. l. 26. C. de don. Conf. Hillig. ad Donell. Enucl. l. 7. c. 9. lit. d. Vultej. l. 1. jur. 4. n. 24. V. Infantia proximi, masculi quidem post initium anni septimi ad perfectum decimum cum undecimi dimidio: fœminæ post annum septimum ad nonum & dimidium. Conf. Accurs. ad §. 9. I. de inutil. stipul. Molin. de I. & I. tom. I. Disp. 167.

## TH. 34.

Lege porrò prohibentur I. Pubertati proximi, masculi à dimidio anni duodecimi ad annum decimum quartum, fæminæ ab anno nono cum dimidio ad annum duodecimum, vid. Clariss. D. Hahn. in obs. t. de pact. n. 5. verb. impuberes. nisi ita paciscantur,

C 3

ut

ut exinde nullum damnum, sed lucrum potius ad eos proveniat, §. 2. I. quib. alien. lic. vel non. l. 11. de acquir. rer. dom. l. 28. de Pact. v. ex diversis. aut quoque tutoris intercedat autoritas, arg. l. 13. ff. de autor. & conf. tut. d. l. 28. de Pact. in pr. hæc enim iudicii defectum, quo impuberes ob teneros unguiculos non possunt non laborare, refarcit quasi atque implet. vid. Wesenb. in t. ff. de tut. n. 6. II. Minores viginti quinque annis, illi scilicet, qui curatorem habent; quippe, hunc si non negotio gerendo adhibeant, obligatio ipso jure nulla est, l. 3. C. de in integr. rest. min. Non verò item, si minorum utilitas deprehendatur. l. 27. §. 1. & seq. de minor. Cui minimè obstat l. 101. de V. O. nam, ut aliorum responsiones præteream, distinguo inter obligationem, quæ ex pacto minoris resultans considerat simpliciter personam ipsius, & quæ simul rei dationem in sese complectitur, ita, ut, respectu habito ad illam, puberes seu minores 25. annis absque curatoribus obligentur, e. g. quando sponsalia contraxerunt, l. 8. C. de nupt. secus, si ad hanc respiciamus, l. 3. C. de in integr. rest. III. Prodigii: eo enim affecti sunt vitio, ut libera rerum administratio illis concedi non oporteat: cum expensarum nullum finem, nullum modum facere sciant, sed concoquendo & profundendo bonis suis turpiter abutantur; hoc verò ne fiat, Reipubl. valdè interfit, §. 2. I. de his qui sui vel al. jur. Ut proinde haud insulsè comparentur cum pupillis. l. 9. §. 7. de reb. cred. si cert. pet. cum furiosis l. 12. §. 2. ff. de tut. & cur. & neque consensum, neque voluntatem habere jure nostro fingantur, l. 40. ff. de R. I. IV. Servi, quamvis liberam peculii administrationem habeant, l. 28. in fin. ff. de pact. C. I. A. de pact. th. 106. nisi in utilitatem dominorum, aut jussu eorum paciscantur. l. 3. C. de pact. ratio est, quod Romani, servis suis instrumentorum vice utentes, l. 2. §. 2. ad L. Aquil. junct. Arist. lib. 1. Polit. c. 3. nefas duxerint, si majus detrimentum, quam commodum ex peculio servis concessio dominis obveniret. V. Filiis. l. 7. pr. de donat. Excipe nisi justa causa interveniat, d. l. 7. §. 1. aut patris emolumentum versetur, l. 17. §. ult. de pact. l. 20. l. 2. eod. l. 7. v. si verò. de pact. dotal. aut pater nominatim concesserit, d. l. 7. §. 2. de donat. aut filius. peculium, vel castrense, d. l. 7. §. ult. vel adventitium cum plena proprietate habeat. Hahn. in obs. de pact. n. 5. verb. filium-  
familias.

familias. VI. deportati l. 15. de interd. & releg. C. I. A. de pact. th. 31.  
 VII. Rei criminis capitalis post condemnationem l. 15. l. 31. §. fin.  
 de donat. quod tamen jure novo correctum est per auth. bona da-  
 mnatorum. C. de bonis prescr. s. damn. Wesenb. de don. n. 7. prope  
 finem. Hahn. in obs. ad d. t. & r. Qui testam. n. 13. verb. quorum u-  
 trumq. ubi ad contraria solidè respondet.

## TH. 35.

Et, hæc ita in genere notasse, sufficiat. In specie hîc quæri  
 potest: An uxor sine consensu mariti res suas paciscendo alteri  
 donare possit. Ut paucis me expediam, distinguo inter bona do-  
 talia, & bona extra dotem consistentia; illa pacto donare non  
 potest. Hæc verò vel sunt receptitia, vel paraphernalia. Recepti-  
 tia rectè donat absque mariti consensu, l. 6. C. de revoc. donat. Pa-  
 raphernalia verò non item: quippe si illorum dominium trans-  
 latum est ad maritum, planè uxor ista donare prohibetur, arg.  
 l. 9. §. fin. de jure dot. si autem ad eum translatum non est, dona-  
 re quidem potest, sed non absque mariti autoritate, l. 8. C. de pact.  
 cony.

## TH. 36.

Huic quæstioni affinis est, an uxor ex bonis suis marito, &  
 contra maritus uxori per pactum licitè donet? Et respondeo sim-  
 pliciter negando: Etenim certissimi juris est, omnem donatio-  
 nem inter virum & uxorem interdictam esse, prout habetur &  
 notatur in tit. ff. & C. de donat. int. vir. & uxor. nec sine rati-  
 bus, quæ collectæ ex l. 1. ff. de donat. int. vir. & uxor. l. 2. & 3. eod.  
 passim extant apud Doctores. Hardevv. Dall. Consult. Decisiv. lib.  
 1. cons. 15. n. 4. & seqq. Hahn. in obs. t. de donat. int. vir. & uxor. n. 1.  
 ubi etiam dissentientem Bachovium de injuria accusat, ejusque  
 feliciter convincit. Verùm ita simpliciter negans intelligi volo  
 de illo tempore, quod mortem conjugis donantis antecedit:  
 nam si mors insecuta est, & nulla revocatio intervenit, tum do-  
 natio hujusmodi confirmata utique valet, l. 11. pr. l. 32. §. 2. 3. 4. &  
 seqq. ff. de donat. int. vir. & uxor. Nec quicquam repugnantibus  
 Mynsing. 2. obs. 33. n. 3. Matth. Berlich. pract. conclus. p. 2. Concl. 15.  
 n. 17. & novissimè Perez. C. de donat. int. vir. & uxor, n. 17. qui  
 per

per *l. Papinianus 23. ff. & l. 24. C. de donat. int. vir. & uxor.* donationem morte firmari posse negant, nisi vivo donatore ipsa traditio intercesserit. Quippe oppositæ leges expressa & clara Imperatoris decisione correctæ sunt in *Nov. 162. §. 1.* ad quam vide *Joachim. Stephan. n. 2.*

## TH. 37.

Ratione subjecti videndum quoque est, cui rectè pacta legitima ineuntur. Regulam ponunt *Dd.* quod nemo alteri pacisci queat, *§. 4. l. de inutil. stipul. l. 17. §. 4. de pact. gl. in l. 22. C. de donat. C. I. A. de Pact. th. 26.* Hæc autem non tantùm in pactis simplicibus, de quibus citati textus in primis loquuntur, sed etiã in vestitis, & in specie in nostris legitimis locum invenit. Exceptâ enim possessionis causâ, per liberam personam, quæ alterius juri non est subdita, nihil, adedque nec obligationem acquiri posse dubitare prohibet *l. 1. pr. C. per quas pers. nob. acq.* Non igitur procedit dicta regula in servo & filiof. *d. l. 1. pr. C. per quas person. l. 59. ff. de pact. junct. l. 38. §. 6. de V. O.* Deinde cessat in mandatario sive procuratore, *l. 10. §. ult. ff. de pact. l. 12. eod. l. 63. ff. de procurat. in donationibus, l. 3. C. de donat. que sub mod. in casu, l. 33. ff. de pact. ubi avus, qui dotem promisit, pactus est, ne à filio dos petatur: in fidejussore, qui pactus est cum creditore, ne à se debitum petatur: acquirit enim principali debitori exceptionem doli, *l. 25. §. 2. ff. de pact. l. 10. §. 2. eod.* Fallit tandem, quoties ejus, qui paciscitur, interest, pactum aliis conducere: nam hujusmodi in casibus non modo aliis, sed & sibi acquisivisse credendus est, *l. 21. prope finem. de Pact. l. 39. de V. O. l. 38. §. 22. eod. §. 20. l. de inutil. stipul. Conferatur Donell. lib. 22. c. 4. Bach. in Comm. ff. sub rubr. de person. n. 2. & seqq. Forst. de Pact. c. 5.**

## TH. 38.

Porro pacta legitima frustra fiunt absenti, nisi ille consentiat, pactoque acquiescat, *l. 55. de oblig. & act. l. 10. ff. de donat. l. 6. C. eod. l. 3. ff. de pollicit.* Quod an factum sit, constare potest ex epistola, vel nuncio *l. 2. §. 2. de Oblig. & Act. l. 5. §. 3. ff. de pec. l. 15. §. fin. eod.* *Conf. Magnif. Dn. D. Tabor in Disp. de donat. th. 16.* Multo minus



minus invito l. 69. l. 156. §. 4. de R. I. l. 19. §. 2. ff. de donat. laudatus  
 Dn. D. Tabor. d. l. th. 18. sub pr. Welenb. in parat. ff. de donat. n. 4.  
 & ad illum Bachov. in not. Pro invito autem uti rectè solvitur  
 l. 39. de negot. gest. ita quoque efficaciter constituitur, l. 25. ff. de  
 pec. const. nec obstat, quod add l. 27. l. 69. de R. I. Dn. Gothofre-  
 dus objicit, beneficium in invitum non conferri. Etenim hoc  
 saltem verum est, quatenus formalis beneficii ratio in invito  
 non deprehenditur; alias autem re vera beneficium in invitum  
 conferri potest, licet homo ingratus, ut par est, illud non agno-  
 scat. tum quoque non tantum debitoris, sed etiam ipsius credi-  
 toris interesse spectatur.

## TH. 39.

Denique, materia circa quam seu objectum sunt omnes  
 res, super quibus pacta legitima fieri possunt: tam corporales,  
 quam incorporales, tam presentes, quam futurae. Quae verò o-  
 mnem spem existentiae excedunt, illa nequaquam pactis legiti-  
 mis determinantur, cum ex istis nullum proveniat obligationis  
 vinculum, l. 83. §. 5. ff. de V. O. vel saltem respectu aestimationis,  
 l. 69. ff. eod. Sic quoque respuunt, quicquid extra hominum u-  
 sum atq; commercium collocatum est, sive ab ipsâ naturâ: ut  
 homo liber l. 83. §. 5. de V. O. l. 103. eod. nisi major 20. annis ad pre-  
 tium participandum alterius esse praelegerit, §. 4. I. de jur. person.  
 l. 5. §. 1. de stat. homin. sive à lege seu jure aliquo: ut res commu-  
 nis & publica, arg. l. 6. pr. de contrah. empt. res sacra arg. l. 22. pr.  
 eod. l. 21. C. de Sacros. Eccl. nisi mobilis ad liberandos captivos, re-  
 stituendas Ecclesias, sustentandos egenos, l. 21. C. de SS. Eccles. &  
 ad solvendum æs alienum, Nov. 120. c. 10. in pactum veniat: locus  
 religiosus, arg. l. 22. de contr. empt. l. 137. §. 6. de V. O. ni forsan rei,  
 quæ licitè in pacta legitima deducitur, accedat, l. 24. de contrah.  
 empt. quo tamen casu nihilominus religiosus manere ne utiquam  
 desinit. Præterea reperire licet, quæ quidem planè à negotiis  
 humanis aliena non sunt, quorum tamen commercium certis  
 quibusdam personis est prohibitum: & alia offendas, quæ etiâ si  
 usui ac privatorum juri inserviant, attamen ab iis alienari neque-  
 unt. illorum exemplum videre est t. t. C. ne Christ. manc. Ibi enim  
 D Christiani



Christiani mancipia habere non prohibentur; eadem verò patris, aut aliis modis in iudæos & paganos transferre, iisdem prorsus interdictum esse, deprehendimus. In horum verò numerum refero rem litigiosam, *t. r. ff. & C. de litig. servum fugitivum l. 6. C. ad L. Fab. de Plag. tigna, ne publicus ad spectus deformetur, l. 2. C. de edif. priv. l. 52. ff. de contr. empt. l. 41. de leg. 1. §. 1. & §. 4. rem soli propter nuptias donatam Nov. 61. §. 1. fundum dotalem l. 2. & 13. §. 1. de fundo dot.*

## TH. 40.

Sed quid de re aliena statuendum? Wesenb. *parat. ff. de Pact. n. 6. Licet, inquit, res aliena vendi possit aut locari, l. 28. de contr. empt. tamen non putaverim rectè & utiliter rem, aut jus alienum in pactum posse deduci, non sine causa refutatus à Bachovio ibidem innot.* Quid enim occurrit, quo minus pactis nudis idem hæctenus tribuatur, atque contractibus: quia utique pacisci licet de re, quæ ex se suaque natura & dari, & haberi minimè recusat, *l. 137. §. 4. de V. O.* Nequaquam verò allegatis verbis eousq; progreditur, ut quis existimare velit, illum ipsa pacta legitima exclusisse. Etenim, quænam illi de istis mens fuerit, apparet non tantum ex adjunctâ ratione, ibi: *neq; agi potest, & in eod. n. 6. ibi: nam quin pactis nominatis.* Sanè, rem alienam pactorum legitimorum adæquatam objectum esse, videre possumus, *in l. 11. ff. solut. matr. t. t. pro donat. l. 36. pr. & §. 1. de pign. act. l. 22. §. 2. l. 9. l. 36. §. 1. eod.* Interim cavendum est, ne, cum rei vocabulum latius pateat, & interdum ipsum factum in sese comprehendat, *l. 5. pr. ff. Vsufr. quem adm. cav. l. 73. pr. ff. de V. O. l. 5. pr. ff. de præscr. verb. hîc etiam factum alienum intelligatur: id enim in pacta venire nequit. l. 38. pr. ff. de V. O. §. 3. l. de inutil. stipul.* hanc ob rationem, quod, qui promisit, ex huiusmodi pacto non teneatur, dum sese ad faciendum quid non adstrinxit, nec teneatur quoque ille tertius, in cuius factum convenere, *l. 3. in fin. C. ne uxor. pro marit. Confer Dn. Gothofr. ad d. §. 3. l. de inutil. stipul. lit. i. Hahn. in Obs. t. comm. vel contr. n. 6. verb. etiam si sint aliena. & t. de pign. act. n. 5.*

## TH. 41.

In specie quædam sese offerunt, quæ sicco pede præterire non possum. Primum est: an pactum donationis super omnibus

bus bonis legitimè fiat. Sunt ex Doctoribus, qui negant, Bart. in l. fin. C. de Pact. l. 38. de V.O. l. licet ubi Jason. n. 15. C. de pact, Wesenbec. π. ff. de donat. n. 5. affirmant Gail. lib. 2. obs. n. 10. Bachov. ad Wesenb. d. l. in not. & ad Treutl. vol. 2. Diss. 19. th. 5. lit. d. Et his lubenter me subscribo, cum propter expressos juris textus l. 35. §. sed. & 4. ibi: *vel etiam totius.* & §. 5. ibi: *vel totam substantiam C. de donat. l. 8. §. fin. ibi: bona omnia C. de revocand. donat.* tum, quod sub hac donatione omnium bonorum, licet nomina debitorum, seu jura & actiones frustra excludant Clarus, Schultes, & alii, bona tamen futura non veniant, ideoque ablata testandi facultas necquicquam objiciatur. Confer Magnif, Dn. D. Tabor Diss. de Don. th. 21.

## TH. 42.

Secundum in eo consistit, an usufructus, formalis scil. in pactum vel dotis, vel donationis licitè deducatur. C. I. A. id negat th. 10. n. 2. per l. 66. in fin. de jur. dot. Contra Mag. Dn. D. Tabori d. D. de donat. th. 19. sententia affirmativa placet. Cui ut veriori non immeritò calculus adjicitur: Quippe lex opposita ad cessionem strictius acceptam pertinet, & aliæ leges sunt, quæ contrarium sic satis clarum ad oculos proponunt. allegasse, ratione instituti mei sufficiat, l. 38. de usufr. & quemadmodum quis ut. in pr. ubi expressè Ictus Martianus *non utitur*, inquit, *usufructuarius, si nec ipse utatur, nec nomine ejus alius, puta qui emit, vel qui conduxit, vel cui donatus est.* Add. Bachov. ad Treutl. vol. 2. Diss. 19. th. 5. lit. a.

## Th. 43.

Tertiò resolvi meretur, an idem quoque in emphyteusi verum sit. Et resolvere placet aliquâ adhibitâ distinctione: vel enim emphyteusis consideratur, ut constituenda, de qua nullum subest dubium; vel ut constituta, & tum emphyteuta aut in scio domino pactum in it, aut cum ejus consensu. Hoc casu neminem puto à me dissentire per textum in l. 3. C. de jur. emphyt. Illo autem, licet nonnullos in contraria sententiaprehenderim, vid. C. I. A. d. th. 10. n. 3. nihilomin⁹ tamē pacto emphyteusim efficaciter vel in dotē cōstitui, vel donari posse, verius existimo. Etenim nō ob quamlibet alienationem jure suo exiit emphyteuta, sed

tantummodo ubi in scio atque in consulto domino vendit, *l. 1. C. de fund. patr. secus si donat §. 3. Instir. de location. l. 1. ff. si a-ger vecl. d. l. 1. C. de fund. patr. aut in dotem dat arg. 2. f. 13. junct. l. 5. C. de jur. dot. aut legat l. 71. §. penult. & ult. de leg. 1. l. 219. de V. S. aut oppignorat. l. 16. §. fin. l. 17. ff. de pign. act. conf. Magnif. Dn. D. Tabor d. Disp. th. 19.*

## TH. 44.

Circa constitutum quartò denique notari debet, in illud ab initio res præterquam fungibiles deduci non potuisse, *l. 2. C. de const. pec.* quod tamen postmodum ab Imperatore Justiniano correctum legitur in *d. l. 2.* ex triplici causa, 1. quod, cum vinum, frumentum, & hujusmodi alia in antiquis prudentium libris sub pecuniæ nomine veniant, possint quoque sub eodem venire res aliæ. 2. quod omnium rerum natura ita comparata sit, ut in pecuniam converti admittat. 3. quod veteres omnes res pecuniæ appellatione definiverint, *d. l. 2. §. 1. Conf. Wesenb. parat. ff. de pec. const. n. 6. & 7.* Deinde in primis observandum est, ab objecto constituti debitum mere civile planè excludi, non quia in eo nudum pactum versatur, sed quia debitum civile jure Prætoris, qui induxit constitutum, pro nullo debito habetur, *l. 1. §. fin. & l. 3. §. 1. ff. de pec. const. vid. Clariss. Hahn. d. t. n. 9.*

## TH. 45.

Sequitur nunc porrò causa formalis, quæ, cum esse rei det, arg. *l. 9. §. 3. ff. ad exhib.* in quacunque tractatione accuratè perpendatur, necesse est. Potest autem commodè perpendi dupliciter, nimirum ratione pactorum legitimorum & constituendorum, & constitutorum. Causa formalis constituendorum est utriusque paciscentium consensus, *l. 1. §. 3. vers. adeò ff. de pact. & indicatur interdum verbis, l. 7. §. 12. ff. de pact. l. 14. §. fin. ff. de pec. const. interdum literis l. 17. C. de fid. instrum. interdum absque utrisque. Quod non animadvertisse nostrum Wesenbecium, haud immeritò mirari licet, quando sub principio *n. 7. de pact.* scribit: *pacta non nisi verbis, licet minus solennibus fieri posse:* quippe pacta nonnunquam iniri absque verbis, abunde declarat exemplum *muti l. 4. §. 1. de pact. surdi l. 48. de O. & A. & quod pactum aliquando**

quando nutu perficiatur, *l. 52. §. ult. de Obl. & Act.* ubi Gothofr. cum quo facit *C. l. A. th. 79. de pact.* & Forst. *c. 7.* Interdum etiam consensus vel sit purè, vel sub conditione & in diem, *l. 47. pr. de Pact.* Scripturam verò ad horum pactorum essentiam non requiri certissimū arbitror: cum in omnibus conventionibus; excepto contractu chirographario, *t. t. l. de lit. obl. contractu emphyteutico Ecclesiastico, Nov. 7. pr. §. ult.* eodemq; civili non simplici sed pactionato, *l. 1. 2. 3. C. de jur. emphyt. l. 17. C. de pact.* probationis magis quam solennitatis gratia interveniat. Conf. Pacius in *l. 17. C. de pact.* Forst. *d. c. 7.*

## TH. 46.

Constitutorum causam formalem exhibet specialis confirmatio juris civilis, qua pacta, aliàs ad actionem vel tollendam vel producendam inepta, vestita sunt atque efficacia reddita, *l. 6. ff. de Pact.* adeò, ut pro re nata non modo actionem ipso jure tollant, ut in furto commisso *l. 7. §. 14. l. 13. C. de furt. l. 17. §. 1. ff. de Pact.* & in injuria illata, *l. 17. §. 6. de injur. l. 17. §. 1. ff. de Pact.* sed quoque eam toties producant, quoties paciscentes iis, quæ in ipsa inducta sunt, stare adversantur. Quemadmodum id jam sup. ostendi in dotis promissione *l. 6. C. de dot. prom.* in donatione *l. 35. §. 5. C. de Donat.* in constituto *l. x. ff. de pec. const.* in hypotheca *l. 1. ff. de pign. act. junct. arg. l. 17. §. 2. ff. de pact.* Huc quoque spectat, quod quædam pactorum legitimorum civilia sint propriè & in specie sic dicta, quædam verò Prætoria. juxta illa, quæ *th. 18.* circa divisionem in medium protuli, & à lectore, si placet, repeti possunt.

## TH. 47.

Cæterum quæri solet, an pacta legitima sint stricti juris, an verò bonæ fidei. Et sanè, cum hoc in præsentia convenienter moveatur, planè silentio præteriri non debet. Notum est, pacta nuda sive simplicia inter conventiones stricti juris recenseri, & rectè quidem secundum Gloss. in *l. 7. §. 5. ff. & Wesenb. in parat. ff. de pact. n. 3* ad quem jung. Bachov. *ibidem in not. & in comm. ff. ad l. 27. §. 8. de pact.* Quamvis autem pacta adjecta quodammodo exceptionem patiantur, tamen id tantum verum est, quatenus

contractibus bon. fid. adjiciuntur. Wesenb. d. n. 3. & n. 10. de pact. Bachov. in not. Hahn. in obs. d. r. n. 3. verb. stricti juris. Utque idem non omnia pacta vestita b. f. sint, sed, exceptis b. f. contractibus adjectis, cum accessoria principalium naturam induant, l. un. §. 2. C. de rei ux. act. r. 42. de R. I. in 6. reliqua omnia tam legitima, quam pacta adjecta stricti juris habeantur. Non tantum quod in se considerata nuda pacta sint, sed & quod neque conditio ex lege, neque actio hypothecaria, neque actio de constituto inter b. f. actiones referantur, §. 28. l. de act. conf. Bachov. ad d. §. & ad Treutl. Diss. 6. th. 3. & seqq. Hahn. in obs. t. de donat. verb. stricti juris. Zoël. de donat. n. 29. & Perez. in C. de don. n. 20.

## TH. 48.

Restat ultima causarum finalis scil. quam aliam facio propriam, aliam communem. Propria est, quo certa quaedam pacta, olim juxta ac cœtera simplicia omnia solum ad excipiendum valentia l. 27. C. de Locat. gl. in l. 7. §. 4. ff. de pact. adjuventur, & ad tollendam l. 7. §. 14. l. 17. §. 1. ff. de pact. vel producendam, l. 6. C. de dot. prom. l. 35. §. f. C. de donat. actionem confirmentur. Sub communi intelligo Reipublicæ salutem, privatorumque utilitatem: hanc enim, ut aliàs semper, Romanus legislator prudenter attendit, quando veteris juris Civilis observantiam, qua, indistinctè ex omnibus pactis nudis denegatâ actione, non poterat non & Reipubl. & convenientibus magnum incommodum sæpius creari, in tantum corrigere voluit. Quod etiam innuere videtur Hilliger. ad Donell. ubi dicit: *Lex Civilis interdum planè non ad-sistit obligationi naturali, interdum ad-sistit, & vel plenius, vel aliqua-tenus tantum, prout illud expedire, ac civium utilitati convenire animadvertit legislator.* Add. Cic. lib. 1. off. §. 32. Mattheac. I. de via jur. c. 9. n. 5.

## TH. 49.

Huc usque quatuor humanarum actionum causas prosecutus, secundum eas materiam de pactis legitimis tractare volui. Consequens est, ut effectum videamus. Hic autem præcipuè duplex est, unus consistit in abolitione actionis, alter in actionis productio.

productione. Abolitio locum habet in pactis legitimis liberatoriis, quorum duo exhibui, *th. 14.* nimirum pactum furti & pactum injuriarum, hâc definitione, ut, nulla præterea ex jure civili Romano exhiberi posse, ibidem asserere nequaquam dubitaverim. Sed dicas, utique liberatoriorum pactorum majorem esse numerum, quàm ut ad duo restringenda sint, cum extra pactum furti & pactum injuriarum adhuc plurima extent pacta, quæ jure civili actionem tollunt. Ut huic objectioni occurram, distinguo inter pacta, quæ tollunt actiones ipso jure, & inter ista quæ hoc saltem faciunt ope exceptionis *l. 34. §. 1. de Obl. & Act.* Respectu horum plura reperiri posse nullus eo inficias, imò inter alia pacta juris gentium (sic ad differentiam vestitorum audire solent) profero exemplum pacti, per quod pignus tollitur. Licet enim pactum hypothecæ obligatorium legitimum sit *l. 1. ff. de pign. act. junct. arg. l. 17. §. 2 ff. de pact.* tamen hoc ipsum quatenus liberat, atque jus hypothecarium dissolvit, non itidem ipso jure, sed tantummodò ope exceptionis actionem extinguit *l. 17. §. 2. de Pact.* ubi non penitus obligatio aboletur, sed tantum imbecillior fit, quàm ut vim suam possit exerere. Conf. C. I. A. *de pact. th. 101.* Quantum verò ad ista spectat, quæ scilicet ipso jure actionem perimunt, ab assertione mea ne transversum unguem discedo, cum nullibi in jure nostro civili invenias pacta, per quæ, exceptis supra expressis, præcisè i. e. ut judicis officio atque definitione opus non sit, obligatio intereat.

## Th. 50.

Ad effectum quoque referendum hîc videtur, quod judicem pacta legitima, quæ ipso jure actionem respuunt, attendere oporteat in litis exordio, parte etiam nihil commonefaciente. Continent enim jus, quod judex nunquam potest, nunquam debet ignorare. Secus verò res comparata est in pactis nudis atque juris gentium: nam hæc, quia meri facti sunt *l. 27. §. 2. ff. de Pact.* ab iis, qui inter sese in foro serram recipiunt, prius objicienda sunt, quàm judex exceptionem valere pronunciet. Conf. C. I. A. *de pact. th. 102.*

Th. 51.

Quod de altero effectu, actionis productione cœpi dicere, id deprehenditur in quatuor istis pactis legitimis obligatoriis, tam civilibus: in pacto dotis, *l. 6. C. de dot. promiss.* & pacto donationis *l. 35. §. 5. C. de donationib.* quàm Prætoriiis: in pacto constituti *l. 1. ff. de pec. const.* & pacto hypothecæ, *arg. l. 17. §. 2. de pact. junct. l. 1. de pign. act.* Quippe ex duobus prioribus datur actio personalis condictio ex lege *l. 6. ff. de pact. junct. d. l. 6. C. de dot. promiss. & d. l. 35. §. 5. C. de donat.* Sic dicta, quod lex nova novam obligationem ad agendum efficacem largiatur, non tamen exprimat, quo actionis genere agendum sit, *l. un. ff. de cond. ex leg.* Est autem condictio ex lege in duplici constituta differentia, & alia dici potest dativa, alia nativa: illa immediatè ex lege citra factum hominis procedit, ut condictio, qua ad edendum, ad exhibendum agitur: hæc in præsentiarum locum invenit, & fit mediante aliquo hominis facto, quod intercedit. Licet hodie quoad dotis promissionem, fictione juris actio ex stipulatu conferatur. *l. unic. §. 1. C. de rei uxor. act.*

## TH. 52.

Ex pacto constituti resultat actio de constituta pecunia §. 8. & 9. *l. de Act.* quæ & simpliciter de constituta dicitur *l. 5. §. 1. ff. de pecun. const.* item constitutoria *l. 20. eod.* in factum, Prætoriam, personalis, qua convenitur is, qui promittit se soluturum vel facturum, quod ipse, aut alius ex justa causa solvere vel facere debet. Olim quoque exinde provenit actio receptitia. Sed hæc, postquam Imperator noster Justinianus actionem constitutoriam ad res omnes produxit, sublata est *l. 2. C. de const. pec.* Conf. *Wes. parat. ff. sub pr. de pecun. const.*

## TH. 53.

Ex pacto hypothecæ oritur actio realis hypothecaria *l. 18. pr. de pign. act. l. 4. de pign. & hypoth. l. 17. §. 2. de pact. junct. §. 7. 31. l. de act.* quæ duplex est: una Serviana, & competit domino fundi seu locatori, adversus colonum seu conductorem, ad id, quo pro annua pensione, aut deteriorationis nomine de rebus in fundum



dum a colono seu conductore illatis & nominatim obligatis domino fundi consulatur *d. §. 7. l. de act. l. 2. ff. quib. caus. pign. tacit. contr.* Bachov. *ad d. §. 7. & ad Treutler. t. de pign.* altera quasi Serviana, quæ omnibus creditoribus, jus pignoris tam expresso, quàm tacito consensu debitoris habentibus ad id datur, ut possessionis rei oppignoratæ creditor particeps fiat, *d. §. 7. l. de act. l. 16. §. 3. ff. de pign. & hypoth.* Add. citato Dn. Bach. Coll. J. Arg. lib. 20. t. 1. à th. 19. usq. ad 25.

## Th. 54.

Ex cæteris verò pactis, cum omnia non tantum ad excipiendum, sed etiam ad agendum proficiant *c. 8. c. 20. q. 1. c. 1. & 2. de pact.* nisi sint contra bonos mores; nos autem Jus Canonicum hac in parte sequamur, utpote quod toties sequendum est ex sententia Doctorum, quoties de præcavendo peccato & de conscientia causa agitur, *Wes. in parat. ff. de Pact. n. 9.* nascitur hodie actio, non quidem præscriptis verbis, ut quidam somniarunt, decepti ex malo intellectu *l. 1. ff. de præscr. verb.* sed condictio ex canone, aut ex moribus. Quæ ita audit ad imitationem condictionis ex lege, cujus appellationis rationem *ex l. un. ff. de cond. ex leg.* jam supra dedi *th. 51. Conf. C. I. A. de cond. ex lege th. 2. & Ampliss. Hahn. n. 9. verb. jure Pontif.*

## Th. 55.

Effectum excipiunt contraria. Et considerari possunt I. Ratione causæ efficientis, quando scil. ab iis pacta legitima interponuntur, qui tamen ad paciscendum sunt inepti. II. Ratione materiæ, si super iis rebus fiunt, quæ pacta respuunt. III. Ratione formæ, ubi quædam pactis legitimis perficiendis obluantur, quædam perfecta in nihilum resolvunt.

## Th. 56.

Illæ sunt, quibus paciscentium consensus vel utrâque, vel alterutrâ saltem ex parte tollitur, *arg. l. 3. ff. de poll. l. 1. § 3. in fin. ff. de pact.* ut, si paciscentes mutuo à pacti placito discedant: si error intervenerit *l. 116. §. f. de R. I. l. 15. ff. de jurid.* Oldendorp. *class. 4. act. 1. §. 1. pract. n. 4.* & qui eum citat, D. Joh. Melchior Sachs in  
E Disp.

*Disp. Inaug. Solve & rep. th. 33. si vis intervenerit aut metus, d. l. 116. pr. de R. I. aut dolus l. 9. C. de Pact. l. 7. §. 7. ff. eod. C. I. A. th. 82. de Pact. Wesenb. in parat. ff. de pact. n. 11. Hunn. de pact. c. ult. q. 1.*

## TH. 57.

Ad hæc refero etiam obscuritatem, qua mens paciscentium adeò perplexa redditur, ut nec ipsi, nec alii eam eruere, & quid in pactum deductum est, scire possint: Quippe hujusmodi nimia obscuritas potius dijudicatur, quæ pactum planè vitiat secundum acutissimum & maximè lynceum Bachov. in *Comm. ff. ad l. 39. ff. de pact.* quàm ut eam adversus partem, quæ legem dicere potuit clariorem, interpretandam Wesenb. in *parat. ff. de pact. n. 10. sub fin.* religiosè nimis credamus. Unum enim idemq; est, nihil dicere, & quædam cum tantâ obscuritate proferre, ut *Ædipo* opus sit, qui tamen nec ipse enodare queat. Pro Wesenbecio autem facere videtur *d. l. 39. ff. de pact.* quam & pro sua sententia *d. l.* adducit. Verùm enim verò loquitur illa lex non de tali omnimodâ obscuritate, sed de obscuritate ambigua, junct. *l. 172. de R. I. in pr. seu dubiâ l. 20. eod.* quæ quidem duobus vel tribus modis accipi, sed tamen intelligi potest Gothofr. *ad d. l. 39. de pact.* cum quo conf. *Althuf. lib. Dicaol. c. 17. n. 3.* Bachov. *ad d. l. 39. n. 1. & 2.* Et hujus ratione distingo demum, quod vel in propatulo sit, quisnam paciscentium pacto legem dedit, vel de eo dubitetur; ita, ut hoc casu observari debeat, quod vero maximè est consentaneum, & plerumque solet contingere, *l. 114. ff. de R. I. l. 12. de ll. Arist. lib. 5. Ethic. c. 14.* illo verò casu pactum contra eum interpretandum sit, qui illi legem dixit, cum ipsam dicere potuisset apertiolem, *l. 99. ff. de V. O. l. 21. de contr. empt. l. 33. eod. l. 38. §. 18. de V. O.* Treutl. *Disp. 6. th. 11. lit. h.* Cun. *de pact. c. 2. n. 33.* Paul. Bus. *in comm. ff. n. 1.*

## TH. 58.

Porro contrariis, pacta legitima jam perfecta destruentibus annuero pactum novissimè superveniens, priori contrarium *l. 8. C. de pact. int. empr. & vend. l. 6. §. fin. ff. de contr. empr. l. 12. C. de pact.* Goth. *ad d. l. 12.* Card. Tusch. *Conclus. pract. 6. n. 4.*

Donell.

35.  
Donell. *ad d. l. Prius enim pactum per posterius contrarium an-*  
*nihilatur, si non ipso jure, saltem exceptione & replicatione l. 27.*  
*§. 2. ff. de Pact. Hot. in comm. Cod. ad d. l. 12. Wesenb. ad pr. l. de*  
*repl. C. I. A. de pact. th. 101. 165. & seqq.*

TH. 59.

IV. Denique contraria considerari possunt ratione causæ  
finalis, quando scilicet pacta vergunt in utilitatem tertii, non ve-  
rò ipsius paciscentis, gloss. *in add. marg. ad l. 27. C. de locat. Gu-*  
*delin. lib. 3. de jur. nov. c. 1. n. 43.* Quoad exceptiones tamen con-  
feratur *th. 37.* ad quam malo me remittere, quàm unam cram-  
ben bis coquere, nauseamque parare. Potissimùm cum præsens  
tractatio in majus excreverit, atque ego ob certas rationes ad a-  
nimum constitueram.

TH. 60.

Memor itaque mei propositi ad finem appropinquo, & an-  
tequam filum, quod hætenus secutus sum, abscindam, nonnul-  
la, quæ cum pactis legitimis aliquam affinitatem habent coroni-  
dis loco breviter adjicio. Talia verò sunt non tantùm omnia  
cætera pacta, quæ adjecta, qua simplicia, item pollicitatio, arg.  
*l. 43. §. 1. ff. de contr. empt. l. 3. ff. de pollic.* sed etiam ipsi contractus,  
tam innominati, quam nominati; inprimis autem civiles in  
specie sic dicti, stipulatio & literarum obligatio, arg. *l. 7. §. 12. ff.*  
*de pact. l. 1. §. 4. de const. pec.* Vale, benevole Lector, & istas, quas  
de pactis legitimis tibi examinandas, non cavillandas convi-  
tiisque prosequendas exhibui theses, favore tuo dignare.

Interim, cum quo exorsus sum, &  
rectè finio,

DEO GRATIAS.

2

Dobell ad h. l. Pius enim pactum per posterius contrarium  
nihilominus si non ipse iure, saltem exceptione & replicatione  
s. f. de iur. iur. in cum Cod. ad h. l. r. Welenb. ad pr. l. de  
iur. iur. l. A. de pact. ubi l. r. v. f. p. p.

T. H. 20.

IV. Denique contractus constituti possunt ratione causa  
finalis, quando scilicet pacta verunt in utilitatem tertii, non ve-  
ro ipsius pacti, sicut, glossa in add. marg. ad l. C. de iur. iur. l. A.  
de pact. ubi l. r. v. f. p. p. Quod exceptiones tamen con-  
trahuntur, ad pacta male metentore, quam unam cum  
pacta de cogente, nante, que parit, Possuntum cum pactis  
tractatio in manu exercere, atque ego ob certas rationes ad  
nummum constitutum.

T. H. 20.

Memorandum in hoc tractatu habentem ad propositum, & an-  
tequam ad hunc, quod habet, in seculum, ad iudicandum, bonum  
de pactis, pactis legitime ad pactam affirmatam, de pactis coram  
dis ioco de pactis, ubi l. r. v. f. p. p. Talis vero sunt non tantum omnia  
causa de pactis, que ad pacta, que ad pacta, item pollicitatio, arg.  
l. A. de pact. ubi l. r. v. f. p. p. sed etiam ipsi contractus  
tam inordinati, quam inordinati; in pactis autem, et in  
pactis de pactis, & in pactis, & in pactis, & in pactis, & in pactis,  
de pactis, legitime tibi examinandas, non cavillandas con-  
trahunt, que ad pacta, & in pactis, & in pactis, & in pactis,  
tunc hinc.

DEO GRATIAS

172 J. 26



Strassburg, Diss., 1659-60


ULB Halle 3  
005 607 590



TA → OL

1077





Pri. 20. Prüm.

DISPUTATIO INAUGURALIS

De

PACTIS LEGI-

TIMIS,

QUAM

PRÆSIDE

DEO OPT. MAX.

*Decreto atque Auctoritate*

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CON-

sultissimi in Floridissima ARGENTORA-

TENSIVM Academia Jctorum Ordinis,

*Pro*

Summis in Utroque Jure Honoribus & Privilegiis

Doctoralibus ritè consequendis, Solenni

Eruditorum ventilationi

*submittit*

FRIDERICUS NASSER

SLESVIC. HOLSAT.

*Ad Diem 10. Mensis Octobr.*

*Horis locove solitis.*

ARGENTORATI,

Typis FRIDERICI SPOOR.

ANNO M. DC. LIX.



P 224.

1659/13.

37

